ne medius ex tribus quod apud numidas honori
ducitur iugurtha foret. Dein tamen ut aetati conce
deret fatigatus a fratre uix in partem alteram tra
ductus est. Ibi cum multa de amministrando imperio
dissererent. iugurtha inter alias res ait oportere
quinquennii consulta et decreta omnia rescindi. Nam
per ea tempora confectum annis micipsam parum animo
ualuisse. Tum idem hiempsal placere sibi respondit.
Nam ipsum illum tribus proximis annis adoptatione in
regnum peruenisse. Quod uerbum in pectus iugurthe
altius quam quisquam ratus erat descendit. Itaque ex eo
tempore ira et metu anxius moliri parare atque
ea modo cum animo habere quibus hiempsal per dolum
caperetur. Quae ubi tardius procedunt neque le
nitur animus ferox. statuit quo uis modo inceptum perfi
cere. Primo conuentu quem ab regulis factum sup
memoraui propter dissensionem placuerat diuidi
thesauros finesque imperii singulis constitui. Itaque
ad utraque rem tempus decernitur sed maturius ad pe
cuniam distribuendam. Reguli interea in loca
propinqua thesauris alius alio concessere. Sed hiemp
sal in oppido thirmida forte eius domo utebatur.
qui proximus lictor iugurthe carus acceptusque ei
semper fuerat. quem ille iugurtha casu ministrum oblatum pro
missis onerat impellitque uti tamquam sua uisens domum
eat. portarum claues adulterinas paret. Nam uere

A. Lictores fuere qui
uirgas ferebant ante
reges sedendo eius q. x.
fuere. Ex his iste
semper proximus incedebat
regi.

UNIVERSITÄTS-BIBLIOTHEK HEIDELBERG
BSB Bayerische StaatsBibliothek
HESSEN Staatliche Schlösser und Gärten Hessen
Organisation der Vereinten Nationen für Bildung, Wissenschaft, Kultur und Kommunikation
Kloster Lorsch Welterbestätte seit 1991
© Bayerische Staatsbibliothek
http://bibliotheca-laureshamensis-digital.de/view/bsb_clm19472/0196